

CIRCARIA SLAVIAE

Complectebatur circaria ista antiquum ducatum Pomeraniae, qui saeculo XII adhuc a Slavis fuit inhabitatus. Duas abbatias et duo parthenones tantum habuit, quae omnes in Diocesi Caminensi (Kammin) fuerunt sitae.

Ordo noster per ipsum fundatorem in Germaniam Septentrionalem fuit transplantatus (vide sub Circaria Saxoniae). Monasteria ibidem intra fines metropoleos Magdeburgensis fundata, ac eorum fundationes filiales initio omnes Circariae Saxoniae adhaeserunt. Sed mox canoniae pomeranae, et domus magis distantes iurisdictioni illius circariae se subtraxerunt, ac in obedientiam Abbatis Generalis sunt reversae. Initium fecit canonica Usnamensis, seu Grobe in Pomerania. Praepositus Walterus de Grobe iam anno 1184 a Circaria Saxoniae defecit. Insidiae ac dissensiones politicae iam tunc causa huius separationis fuerunt. Quae seiunctio postea fuit perfecta, dum Siginus Episcopus Camminensis studeret iurisdictioni archiepiscopi Magdeburgensis se subtrahere, quod anno 1217 a Sancta Sede vere impetravit. Siginus ille consultor fuit Ducis Pomeraniae in secunda fundatione. Canonici huius fundationis haud ex monasteriis Saxoniae prope sitis, sed e longinqua Frisia anno 1208 fuerunt advocati. Duces nempe Pomeraniae tunc temporis adhuc mere Slavi, aegre tulerunt potentiam archiepiscoporum Magdeburgensium, quia illi iam a tempore Sancti Norberti germanisationi illius regionis faverunt.

Dum vero aliae canoniae, quae initio ad circariam Saxoniae spectabant et postea propter nimiam distantiam ab ea defecerant ut Arnstein, Vessra et Ilfeld, mox alii s Circariis se aggregaverint vel novam formaverint, duae canoniae pomeranae, propter res politicas potius quam propter distantiam a Saxonibus seiunctae, sibimetipsis fuerunt derelictae. Symbolum separationis Pomeranorum a Saxonibus statim fuerunt introductio dignitatis abbatialis loco praepositorum, quos Saxones semper retinuerunt, et admissio monia-



lium, a quibus illi abhoruerunt. Cum vero ordo saeculo XIII in circarias fuerit divisus, e pomeranis canonii formata est „Circaria Slaviae“. Catalogorum omnium antiquissimus, Ninvensis I (1234/40) eam expresse et segregatim adducit. Designatio „Slavia“ tunc temporis quidem communis erat pro Pomerania hodierna, sed nihilominus aliquo modo innuit, separationis causam fuisse sensum nationalem Slavorum, qui nequidem diocesisibus germanicis participare voluerunt. Anno nempe 1308 canonia Grobe altera vice est translata, ea de causa, ne amplius in territorio episcopi Havelbergensis esset sita.

Videtur vero existentia huius circariae fuisse theoretica. Secundum peritos auctores (v. g. Hoogeweg) constat, canonias Grobe et Belbuck numquam ullam unionem circarialem inter se habuisse, et ex archivis earum, partim sat amplis, nullo modo patere illam circariam umquam extitisse. Atqui scimus ambas canonias frequentes relationes semper habuisse cum circariis Daniae et Norvegiae, et cum ecclesia cathedrali in Riga, interdum etiam cum Ilfeldia et Bohemia. Tommarp diu fuit sub paternitate abbatis Usnamensis, et Belbuck primo fundata est ex Lundis. In „relicto“ visitationis Circariae Daniae, quam instituerat Laurentius abbas de Pudagla anno 1443, ille nuncupatur „Visitator in Circariis et partibus Slaviae Daciae et Norvegiae“.¹ Inde apparere videtur Slaviam et Norvegię ut proprias circarias tunc fuisse consideratas, sed propter paucitatem domuum, una cum Riga semper cumulative cum Circaria Daniae fuisse administratas.

Catalogus Le Paige loquitur de Circaria Sti. Andreae et Slavoniae, et bis adducit canonias pomeranas. Lairuelz et Hugo sequuntur hanc denominationem omnino falsam, ac mira fabulantur de canonii Slaviae, multiplicando numerum earum. Clare appareat ceteroquin e comparatione antiquorum catalogorum, parvas circarias semper periculum incurrisse, quod descriptores superscriptiones earum per errorem saepius negligentes, eas aliis circariis falso agglutinaverunt. Hoc Circariae Slaviae in Catalogo Le Paige bis factum est. Prima vice coniuncta est cum Circaria Sti. Andreae, quae revera e sola abbatia Fernensi in Scotia constituisse videtur, ac secunda vice Circariae Westfaliae fuit appensa. Catalogi Tongerloensis, Hilgentalensis et Nivensis II, qui ultimus minuta magni momenti praebet de vicissitudine paternitatis abbatiae Usnamensis, ambas canonias pomeranas adducunt sub voce „In Slavia“, omissa denominatione Circariae. Solus Hilgentalensis adducit et ambo asceteria Stolp et Treptow. Tamen fieri potuit omnino, unionem quandam ad instar circariae exitisse, non solum de jure, sed de

¹ Hoc „Relictum“ publicatum est in opere „Repertorium Diplomaticum Regni Danici Medievalis“ III (Hafniae 1906) pp. 619/21, et in Anal. Praem. XXIV (1948) pp. 111/14.

facto, inter abbatias totius aquilonis Europae, immo Fearn et aliquas domus in Frisia sitas complectentem, quod probatur infra apud Circariam Daniae.

Quidquid est, positio iuridica harum canoniarum in ordine non videtur fuisse omnino clara. Ambae, Grobe-Pudagla-Usnam et Belbuck, fuerunt spectabiles et insignes. Tota Circaria saeculo XVI interiit, ac pauca tantum rudera de domibus eius subsistunt. Aliter est de documentis. De Grobe superest considerable archivum, ac etiam de aliis domibus historia satis est documentata. Plures historici in eam exarandam insudarunt, praesertim nostris diebus H. Hoogeweg, ita ut relative bene de illa simus instructi.

BELBUCK SS. Petri et Pauli

Beal-, Belboc, -burch, -boch, -bouch, -buc, -buch, -bug. Castrum Sti. Petri (non vero Spei, ut falso legit LAIRUELZ, nec fuit B. ecclesia cathedralis, ut putat LEPAIGE 317, confundendo eam cum Börglum), Borch Sti Petri.

Prope Treptow (Trzebiatowo) in Pomerania, hodie Polonia, Dioec. Kammin (Kamien).

Abbatia, fundata anno 1177 a Casimiro Duce Pomeraniae, et uxore sua Anastasia in quodam vetusto sanctuario pagano (Belbog, slavice: deus albus), filia abbatiae SS. Trinitatis Lundensis. Sed fundatio non successit, mox canonici in Sueciam reverterunt. Denuo fundata est Belbuck anno 1208, quo venit nova turba religiosorum e Mariengaarde in Frisia.

Abbatia, quae fuit „nobilitate, opibus, praeeminentiis insignis apud Pomeranos“, pertinuit usque ad annum 1224 ad Circariam Saxoniae. Asceteria dependentia: Treptow St. Nicolaus et Stolp St. Nicolaus. Parochiae incorporatae: Treptow B.M.V. cum pluribus vicariis Behlkow, Karnitz, Kienow, Dargislaaff, Gützlaffshagen, Langenhagen. Wachholzhausen, Großzapplin, Zarben, Zedlin. Anno 1398 incorporatio parochiarum Belgard, Oldenstadt, Stolp, Tzerben et Wischow confirmatur a Curia Romana. Iam saec. XIII abbatia erat ditissima. Postremo possedit 47 vicos, abbates erant infulati.

Anno 1328 24 canonici et 9 conversi in domo fuerunt praesentes. Proposita fundationis novae canoniae in Dramburg et translationis sedis episcopalis Camminensis in abbatiam Belbuck (1332) non fuerunt exsecuta. Ultimus abbas Joannes Baldwin seu Boldewan anno 1517 in canonie fundavit seminarium, cuius rector fuit famosus ille assecla Lutheri, Bugenhagen, qui vero non fuit membrum ordinis, ut quidam falso asserunt. Abbas ac maior pars conventus Lutheranismo statim adhaeserunt, qua de causa canonie iam anno 1521 a Duce Pomeraniae, tunc adhuc catholico, fuit suppressa. Anno 1536 iam fuit inhabitata ac collapsa, anno 1560 integre combusta est praeter tur-

rim, quae anno 1616 etiam corruit. Duobus saeculis sequentibus ultima ruderata solo sunt aequata.

Archivalia: Archivum fere totum periit incendio anni 1560, reliqua inveniuntur in Arch. Status in Stettin (37 diplomata, ac matricularium continens copias 82 diplomatum ex annis 1180–1448).

Bibliographia: APontDan III 1987, IV 2746 – CPD 29, 86, 113, 148, 164 – DHGE VII 504 – GABRIEL 12, 13 – GOOVAERTS I 94, IV 22/24 – GROTE 37 – HEYDEN cf. ind. – HIRSCHING I 324/25 – HOOGEWEG Pom I 13/19 – HUGO Ann. I 247, prob. 196/200 – KLEMPIN cf. ind. – Kdm. Pom. XI Krs. Greifenberg (1914) 22/26 – Lettr. Jean XXII 5930, 11416/17, 16354, 53849, 56365, 58656/57, 59349 – LThK II 119 – LIENHARDT Eph. Hag. Auct. 15, 30 – MGH EpSel I 13 – PETERSON cf. ind. – PLANTIKO cf. ind. – PUB cf. indd. – POTTHAST 5656, 9308, 14030, 25857 – RANGO 233 ff. – RepGerm II 113, 116, 338, 388, 821, 1069, III 253, IV 198, 2826 – SCHÖTTGEN-KREYSING III 36, 115, 121, 276 – SOMMERFELD cf. ind. – STEINBRÜCK 7/13 – WALLIN Ärkebiskop – WEHRMANN cf. ind. – WIESENER 225/29 – WINTER 213/14 – WuJA II 584 – ZAK EOP (1929) 248 – IDEM PAM – H. BERGSMA, Die Reform der Meßliturgie durch Johannes Bugenhagen, Kevelaer 1966 (cf. Anal. Praem. 1967, 343) – H. BOSSE, Heimatkunde des Kreises Greifenberg II, Treptow 1927, 47 – IDEM, Das Kloster B. b. Treptow (Unser Pommeland XVI 1931, 96/106) – N. BOUTERWEK, Origines Treptoeae – N. BRUMMER, Das Kloster B. bei Treptow (Balt. Studien IIa, 1833, 3ff.) – J. BUGENHAGEN, Pomerania, edd. O. HEINEMANN, in: Quellen zur pommerschen Geschichte IV, Stettin 1900, 139 ff. – A. HEINTZE, Geschichte der Stadt Treptow (Original MS in Arch. Munic. Treptow, edd. A. GIRGENSOHN, Treptow 1906) – W. PAAP, Das Kloster Belbuck um die Wende des 16. Jahrhunderts (Baltische Studien X 1, 1884, XVI 1913, 3/73; et Diss. Greifswald 1912) – L. QUANDT, Chronologische Bemerkungen und Berichtigungen zu pommerschen Urkunden (Balt. Studien X 1, 1879, 143) – H. SCHULZ-VANSELLOW, Stadt Treptow a.d. Rega, Land u. Menschen, Tr. 1954 (erronee autumat originem monasterii B. ex ordine Cisterciensi) – A. SIMONIS, Die Gründung der deutschen Stadt Treptow, Tr. 1909 – M. v. STEINKELLNER, Aus der Vergangenheit der Stadt Treptow und ihrer Umgebung, Stuttgart 1889 – K. F. SUDHAUS, Zur ältesten Geschichte von Treptow (Jb des Gymnasiums Treptow 1876, 213) – S. M. SZACHERSKA, Rola klasztoru danskich w eksploracji Danii na Pomorzu zachodnim u schyiku XII wieku, Warszawa 1968; anglice sub titulo: The Political Role of Danish monasteries in Pomerania 1171–1223, in: Medieval Scandinavia Nr. 10, Odense 1977, 146/50 – M. WEHRMANN, Gesch. von Stadt und Land Greifenberg, Gr. 1927, 13 – A. ZAK in Anal. Praem. VI 1930, 443/44

Series abbatum (HOOGEWEG)

Berenger ¹	Bavo 1251–59
Dodo 1216/19	Simon 1263
Otto 1224/43	Wiardus 1265–68, antea et postea
Sigebodo 1243/51	abbas in Grobe
Hesselus 1251, res.	Mauritius 1270

¹ Primus abbas secundum Necr. Braine, et Obit. Praem. 8. II. Hoogeweg nescit.

Thomas 1273	Bernhard Buckow vel Butzow
Albertus 1279	1393/1409
Thidbold 1283/90	Nicolaus Griskow 1419/21 vel 28
Siegfried 1293	Nicolaus Volske 1428 vel 1434/35
Nathan 1305/10	Gregorius 1436/61
Gerhard 1318/19	Nicolaus 1467/77
Diethard 1320/22	Konrad v. Winterfeld 1480/91
Arnold 1328/41	Stanislaus 1492/1503
Wilhelm 1350	Joachim 1504/07
Bernhard 1354/73	Henricus Beggerow 1508–16
Nicolaus 1377/80	Johannes Boldewan 1517–22
Andreas 1383/89	

(GROBE) – PUDAGLA

Abbatia fundata circa annum 1150 in

1. Grobe St. Godehardus, BMV et St. Sabinus. Usnam, Vzenam, Ussduem, prope oppidum Usedom, in insula eiusdem nominis, in Pomerania, Dioc. Havelberg, Fundata a Ratibore duce Pomeraniae ab Pribislava uxore eius, instigante Anselmo Episcopo Havelbergensi, ante annum 1155. Praepositura, filia de Magdeburg. Mox iterum fuit derelicta propter turbam bellicam. Anno 1177 vero iterum renovata, hac vice ex ecclesia Havelbergensi. Propter vicinitatem oppidi Usedom, fori mercantilis turbulentissimi, canonia anno 1184 translata fuit in

2. Marienberg (Mons. Stae. Mariae, hodie adhuc Klosterberg) non longe distante retentis nominibus Grobe et Usnam. Simul a iuridictione Circariae Saxoniae se subtraxit et dignitatem abbatiale assumpsit. Paternitas diu fuit disputata. Saeculo XII fuit sub paternitate abbatiae Tommarp in Suecia, anno 1230 vero subiecta fuit Horto BMV in Frisia (Mariengaarde, cf. Belbuck). Postremo habebatur ut „filia Praemonstratensis“. Anno 1421 primum monasterium Grobe iam totum fuit dirutum, hoc anno capella ibidem fuit erecta.

3. Anno 1308 iterum translata est canonica in Pudagla SS. Trinitatis et BMV, (Podeglo, Vodeglocensis), juxta lacum Schmollensee, Dioc. Kammin. Nomen eius abhinc fuit „monasterium Vznemense in Pudglowe“. Parochiae administratae: Usedom St. Paul, Usedom BMV, Benz, Gingst, Liepe, Möncchow, Sagard, Zirchow, Pasewalk, Altwarp, Eggelin, Morgensitz, Uckermünde, Balm, Krientze, Mellenthin. 1347: 14 canonici, 5 conversi. Direxit scholam in Usedom. Non fuit dives, sub abbate vero Henrico III Wittenburg (1394–1435) valde floruit. Suppressa anno 1535. Anno 1574 dux Pome-

raniae eam assignavit in sedem viduitatis matris suae. Ecclesia est solo aequata, de monasterio fere nihil superest, loco eius hodie est castellum. – In initio fuit monasterium duplex. Fieri potest – etsi probari nequeat – quod moniales, assumpta regula Cisterciensium, migraverunt in Wollin (cf. Balt. Studien 33, p. 169)

Archivalia: 259 diplomata in Arch. Status Szczecin – Matricula abbatis Wittenburg anni 1440, in Bibl. Soc. Historiae ibidem.

Bibliographia: Maior pars eius, praecedenti sub coenobio allata, etiam hanc canoniam tangit. BERGHAUS II 1, 500/17 – CPD cf. ind. – GOOVAERTS I 493, III 74 – GOTTLIEB 383 – GROTE 191/92 – HEYDEN cf. ind. – HOOGEWEG POM. II 260/368 – HUGO I 785, prob. 621/22 – JL 17206 – KAHN 981 – KLEMPIN Nr. 96, 97, 106 – Kdm. POM. I 385/86 – Lettr. com. JEAN XXXII 16355, 24260 – PETERSOHN cf. ind. – PUB et PLANTIKO item – Reg. Boniface VIII 4481 – Reg. Honorius IV 7601 – RepGerm IV 3660 – SOMMERFELD cf. ind. – STEINBRÜCK 105/17 – WAEFELGHEM 103, 262, 377 – WEHRMANN cf. ind. – WIESENER item – WINTER passim – WUJA 534, 576 – ZAK PAM 46 – R. BURKHARD, Chronik der Insel Usedom, Swinemünde 1909, I 46/92, II 30/97 – N. GOEDEBUCH, Chronik der Insel Usedom, Anklam 1865 – N. HAAG, Zur Geschichte der Stadt Pasewalk und der Klöster Grobe . . . (Balt. Studien XXXIII 1883, 211/29) – N. KUGLER, ibid. VIIa 158 – B. METZ, Die Kirchen auf Usedom und ihre Geschichte seit Otto von Bamberg 1128–1978, Anklam 1978. – A. STARA in Anal. Praem. XV 1939, 106 – M. SZACHERSKA (v. Belbog) – N. ZIELTLOW, Das Prämonstratenserkloster auf der Insel Usedom, Anklam 1858

Series praesulum (HOOGEWEG)

1. Praepositi

Sibrandus 1150? Walter 1173–82

2. Abbates

idem	Walter 1186–89	Diethardus 1315–18, postea abbas in Belbuck
Joannes	1194	Henricus Sachteleben 1323/25
Roger	1195–1219 ¹	resignavit vel depositus est, vixit adhuc anno 1330
Ditbod	1228/29	Konrad Hase 1330/36
Rudolfus	1233	Hermann v. Czernin 1337
Ramundus	1237/42	Konrad v. Dietrichshagen 1344/47
Sibrandus	1246	Arnoldus 1350
Giselbertus	1252–53	Henricus 1353/65
Wiardus	1254–65, dein abbas in Belbuck 1265–68, dein secundo in Grobe 1276/78.	Dietrich Bruggow 1368
Bernardus	1289/92	Ludolf 1371/82
Ditbod	1307/08	Dietrich 1388/92

¹ In Necr. Braine occurrit die 13a. januarii ut praepositus (nisi forte agatur de alio).

Heinrich Wittenburg 1394–1435	Herrmann Tulemann 1495–1514
Lorenz 1435–57	Joannes Boldewan 1515–17, postea abbas in Belbuck
Nicolaus 1463–64	Joachim 1517–29
Johannes 1465–75	Gerhardus Zarte 1529–35
Henricus 1479–93	

STOLP St. Nicolaus

Civitas in Pomerania orientali, Dioec. Cammin. Hodie vocatur Słupsk et pertinet ad Polonium. Vitetur confusio cum abbatia Sti. Joannis in eadem civitate, quae fuit tamen OSB, ac cum Stolpa in Pomerellis, loco ab hac Stolpa non longe distanti, ubi primitus fuit fundatum asceterium Succoviense (Zukowo, vide infra apud Circ. Poloniae).

Parthenon insignis, fundatus an. 1281/84 a Mestwino Duce Pomeraniae. Filia de Marienbusch (Treptow), dependens a Belbuck. Praepositus eius fuit simul parochus loci, et archidiaconus totius Pomeraniae orientalis. Fundatus extra muros (= Indago? vide infra), probabiliter anno 1311 intra muros fuit translatus. Anno 1285 immo adeptus est altum iudicium. Ecclesiae iure patronatus dependentes: Garde 1284, Mützenow, Kublitz, et capella Revekol prope Schmolsin. Anno 1535 suppressus, sed substitut usque ad annum 1945 tamquam „canonia pro domicillis lutheranis“ (Evangelisches Damenstift). Ecclesia anno 1665 combusta, sed an. 1737 reconstructa est. Anno 1771 ad fines scholares adaptata est.

Archivum perii totum.

Bibliographia: Nisi forte idem est ac Indago, omnibus fontibus ordinis est ignoratum, praeter catalogum Hilgenthalensem – BERGHAUS cf. ind. – CPD et HEYDEN item – HOOGEWEG POM. II 630/48 – Kdm. POM. BEZ. KÖSLIN II – PLANTIKO cf. ind. – PUB, STEINBRÜCK, WEHRMANN, WIESENER et WUJA cf. ind. – ZAK PAM 47 – W. BARTHOLDY, O Stolpa du bist ehrenreich. Kulturgesch. Beiträge zur Kirchen- und Stadtgeschichte v. St., St. 1910 – J. E. BENNO, Die Stadt St., Cöslin 1831 – C. W. HAKENS, Drei Beiträge zur Erläuterung der Stadtgeschichte von St. (1773), denuo editum a F. FEIGE, St. 1866 – A. ZAK in Anal. Praem. VI 1930, 443.

Series antistitium (Hoogeweg)

Siegfried 1328	Martin Hasselvelt 1479/89 res.
Bernhard	Melchior 1490
Martin Vullemate 1388	Johann Boldewan 1511/12, dein ab-
Nikolaus Wischow 1417	bas in Belbuck
Stanislaus Clappe 1475/77 res.	Wilhelm v. Natzmer 1522 –

ex priorissis nota est unica tantum: Anna Roggenpan 1516/33

TREPTOW B.M.V. et St. Nicolaus

Rubus Stae. Mariae, Marienbusch, Tribethou, Trebetowe, Trepethowe,
Dioec. Cammin.

Civitas in Pomerania orientali. Hodie vocatur Trzebiatow et pertinet ad
Poloniam.

Parthenon fundatus anno 1224 ab Anastasia Ducissa Pomeraniae, quae
primitus castrum suum in Treptow in hunc finem destinaverat, sed postea,
resistentibus suis filiis, in vico Wischow prope Treptow, sub titulo Marien-
busch fundavit asceterium, in quo loco anno 1235 prima vice occurrit. Fuit
ibidem celebris peregrinatio ad B.M.V. Fundatrix Anastasia ordinem ibidem
ingressa est et inter Beatos eius humeratur. Dependebat a Belbuck, qui initio
bona eius administravit. Primae moniales venerunt e Bethlehem in Frisia.
Anno 1243 iam moniales ibi fuerunt. Eodem circiter tempore asceterium Iv-
anič in Croatia, de quo vide infra apud Circariam Hungariae, vix ab eo fun-
datum, sed potius reformatum et aliquo modo ei est subditum. Paulo post
an. 1281 primas sorores emisit in asceterium Stolp, de quo supra. Anno 1287
translatum est ad ecclesiam St. Nicolai in Treptow. Iam circa annum 1520,
probabiliter simul cum Belbuck, fuit suppressum et camerae ducali incorpo-
ratum, conventus vero paulatim extinctus est. Anno 1560 adhuc nonnullae
moniales in eo vixerunt, anno 1573 iam omnes obierant. Ecclesia anno 1560
iam erat ruinosa, anno 1679 ultima rudera eius sunt remota. Loco monaste-
rii nunc est castellum, in quo unus murus et fundamenta illud in mentem re-
vocant.

Archivalia: Paucia subsistunt in Arch. Status Stettinensi (Szczecin).

Bibliographia: (v. etiam Belbuck) – BERGHAUS II 6, 730ff. – CPD et HEYDEN
cf. ind. – HOOGEWEG Pom II 758/69 – HUGO II 701 – KLEMPIN cf. ind. – Kdm. Pom.
XI 216, 225/32 – LIENHARDT Eph. Hag. 347 – MGH SS XXIII 579ff. – PLANTIKO cf.
ind. – PUB I 166, 314, 407 – POTTHAST 22657 – RepGerm IV 159, 3660 – SONNEN-
FELD, STEINBRÜCK, WEHRMANN, WIESENER, WUJA cf. indd. – WAEFELGHEM 158, 379 –
ZAK PAM 47 – HEINTZ v. Belbuck – R. RO – Gosz, Metody i wyniki badań archeolo-
gicznych przy klasztorze w Trzebiatowie (Methoden und Ergebnisse von archäolo-
gischen Forschungen über das Kloster in Treptow, in: Biuletyn Informacyjny Pra-
cowni Konserwacji Zabytków Nr. 32, 1976, 156/174) – v. STEINKELLER, Aus der
Vergangenheit der Stadt Tr. und ihrer Umgebung, Stuttgart 1889 – M. WEHRMANN,
Die Gründung des Nonnenklosters Marienbusch (Monatsbl. der Ges. f. Pommersche
Gesch. 1898, 55/56).

Series praepositorum (Hoogeweg)

Reimbert 1290

Wilhelm 1328

Gerhardus ante 1328

Henricus 1433

Hermann Schardemund 1442/44
Dietrich Niemann 1450/82
Melchior 1487/89 res.
Martin Hasselvelt 1490

Paul Moltze 1499
Johann Köster 1521/22
Otto Schlutow

Fundatio non perfecta

Anno 1254 abbatia Belbucensis recepit bona sat extensa a Duce Vratislao III in solitudine Sarranzig circa Dravam sita, in loco quo postea constructa est civitas Dramburg, ad fundandam canoniam in honorem SS. Augustini et Stanislai. Belbuck vero hanc fundationem non est exsecuta, iam anno 1269 bona fuerunt alienata. (Winter 322, Anal. Praem. XV 104)

PRAETERMISSA

BORU

Secundum Hugo I 393 in Dioc. Kammin, in Pomerania, fundatum versus annum 1170 a Casimiro I. Principe Pomeraniae. – Revera idem est ac Brode.

DRAXMARCHENIUM

Lairuelz p. 420 (Draxmari) et Hugo I 641: in Dioc. Kammin, in Pomerania. – Revera idem est ac Dragsmark in Norwegia (Circaria Daniae).

GOTTESWAN

Lairuelz p. 428. In catalogo Scheftlariensi: Goteswan, in Ninivensi II: Go-desnaue in Thuringia. – Probabilis non est idem ac Gottesstadt, ut putat Waefelghem p. 98, sed falsa lectio pro Gottessaw = Chotěšov in Circ. Bohemiae.

SAINT MARIE D'HUENES

Hugo I 785 Waefelghem p. 103 et 262 identificat hoc monasterium absque ulla ratione cum Sta. Maria in Balna Insula (Hugo II 153), de quo vide infra apud Circarium Frisiae. – Huenes est probabiliter corruptela pro Huveaune, Circ. Gasconiae.

INDAGO.

In dioc. Kammin. In diplomate anni 1308, publicato a Rango p. 159. inveniatur praepositus „de Indagine“. Inde hoc sumpsit Hugo I 873 (cf. Winter 8, Waefelghem 125). Secundum Hoogeweg II 850 idem est ac Gobelenhagen, situs ubi canonica O.S.A. Jasenitz primitus extiterat. Me vero judice, forsan idem est ac Stolp, quod ut videtur supra, fuit coenobium spectabile. Ante annum 1311 extra civitatem erat situm, et forsan ibi nomine „Indago“, quod est commune in Germania (= Hagen, Hain), designabatur.

ISAGRABIA

In cat. Scheftlariensi invenitur hoc nomen apud circariam Slaviae. Item apud Lairuelz p. 420. Hugo I 929 recte identificat Isagrabia cum Zagreb, et inde verit „Slaviam“ in „Slavoniam“, quae vox melius cum situ illius civitatis consonat. Atqui revera numquam circaria huius nominis extitit. Probabiliter hic habemus similem casum ac supra apud „Linoma“, quam invenis inter „Praeterrmissis“ circariae Saxoniae. In catalogo nempe Scheftlariensi, vix allato, occurrit insuper apud Circariam Hungariae, duabus in lineis scriptum: „Dioc. Ysagribiensis – Ywancia“. Puto aliquem copistam hic dioecesim, ut alias, pro monasterio habuisse, quod adiunxit circariae Slaviae, ad quam pertinere canoniam similis nominis (Grobe) aliquando audierat. Lairuelz, qui libenter multiplicat ecclesias cathedrales in gloriam ordinis, talem ex ea fecit. Revera capitulum cathedrale Zagrabiene (Zagreb, Agram in Hungaria, nunc Yugoslavia) numquam ordini nostro fuit incorporatum.

IVENOC

Seu Ivenac. Secundum Hugo I 937 in dioc. Kammin, fundatum anno 1180 a vidua Casimiri I. ducis Pomeraniae. Putat ipse Hugo, hoc idem esse ac Jusnia, quod invenerat in aliis catalogis manuscriptis, nobis ignotis. Jusnia est certe falsa lectio pro Usnam-Grobe. Ivenac vero potest esse idem pro Ivanič, quae in catalogo Lepaige designatur ut „filia Rubi“ (= Marienbusch, sita in dioec. Camminensi). Quod nobis videtur probabilius quam corruptela pro Ivenack in Mecklenburg, asceterio O. Cist (Waefelghem 127, Grote 265).

PEDOC

Hugo II 527, Waefelghem 194, Lairuelz 420. In catal. Scheftlariensi: Pel-dach. – Revera idem est ac Belbuck.

